



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXVI. Vtrum detur in Deo perfecta de rebus omnibus prouidentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

perfectiua merentis, ideoque, & seorsim æstimabilia per se; estque gloriosius ceteris paribus, habere aliquid ex meritis, quam habere sine meritis. Quia quod habetur ex meritis, habetur magis ab intrinseco, & nobilius est, habere aliquid per se ipsum, & ab intrinseco, quam habere pure ab alio, ut dicit Philosophus 8. phys. text. 39. Magis autem amari Deus, cui confert aliquid eo modo, quo melius ipsi est, & nobilius, ac gloriosius illud habere. Fallit in hoc obiectantes paritas ex creaturis. Homo enim conferens aliquid homini dependenter à meritis suis erga ipsum, non confert dependenter à donis suis, sed dependenter ab obsequiis alterius utilibus respectu sui, & qui donat independenter à meritis, donat pure gratiose, & liberaliter. Deus autem non ita facit. Quia merita nostra erga Deum sunt dona Dei nobis ab ipso collata, & licet suppositis meritis non conferat deinde pure liberaliter, & gratiose præmium, totam nihilominus donationem facit ex pura gratia, & pure liberaliter. Quia merita, ratione quorum habemus ius ad præmium, donat pure liberaliter, & gratiose absque vilo primitus iure ex parte nostra ad habenda ipsa merita, ideoque ad habendum absolute totum cumulum donationis. Igitur qui accipiunt eundem gloriæ gradum, alter eum meritis, alter sine meritis, eo ipso accipiunt bona inæqualia, & ex amore Dei tantundem inæquali; sed inæqualitate contraria illi inæqualitati, quam intendit obiectio.

Ad 5. Deum velle vnum, vel aliquid vnus, nempe Petri, propter alium, nempe Franciscum, non est præcisè velle vtrumque, & simul velle aliquem suum actum peculiarem, absque vlla differentia ex parte effectus; sed est velle, ut redundet aliqua peculiaris utilitas ex vno in alium per veram, & physicam causalitatem, qua vnus inferuiat alteri. Sicut qui vult medicinam propter sanitatem, eo ipso vult, ut medicina sua causalitate inducat sanitatem; & eadem est ratio de ceteris eiusmodi. Ergo si Deus velit vitam æternam Petri propter vitam æternam Francisci, eo ipso vult, ut Petrus aliqua sua causalitate, & cooperatione inferuiat vitæ æternæ Francisci, & non è conuerso. Vnde si ista Francisci prærogatiua non compensetur in Petro aliquo alio beneficio, seu causalitate beneficii Dei, Franciscus erit magis dilectus à Deo, quia accipiet aliquod beneficium peculiare distinctum ab amore Dei erga se. Si verò fiat illa compensatio, vterque diligetur æqualiter, quia vterque percipiet æquale bonum, licet ex diuersa causa. Itaque *Tò propter* non est accipiendum tanquam aliquid inane, nihil significans distinctum ab actu ordinante vnum ad alium, sed tanquam significans ipsam etiam ordinationem passiuam, quæ est aliquid peculiare creatum.


Ad 6. Aduersus condonationem pure extrinsecam peccatorum habentur complura tota quæstione 8. de Iustificatiōe, & ex dictis in hac ipsa quæstione constat illam repugnare.

Ad 7. Repugnat, ut Christus constituatur finis, & caput Angelorum, & hominum, utque Angelis, & hominibus conferantur dona gratiæ, & gloriæ dependenter ab eius meritis; & nulla nihilominus existat res intrinsecè afficiens tam humanitatem Christi, quam Angelos, & homines, quæ extitura non foret in euentu opposito. Quia Christum constitui finem, & caput, est Christo reuelari, atque intimari munus proprium capitis, & excellentiam propriam finis ceterorum, ut se gerere possit, uti decet eum, qui est finis, & caput ceterorum, & similiter necesse est, ut id ipsum reueletur Angelis, & hominibus, quia speciali modo se gerere debent erga finem, & caput suum. Id quod absque speciali notitia, & intima-

R. P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

tionem fieri non potest. Præterea, ut aliquid conferatur tanquam præmium, necesse est præcedere promissionem præmij, & huius promissionis cognitionem in merente, antequam mereatur, & similiter necesse est ad rationem præmij, ut qui illud accipit à Deo, cognoscat accepisse se dependenter à meritis, ut dicitur in qq. de Actibus Humanis. Perperam ergo supponit obiectio possibilitatem variationis in actibus Diuinis circa Christum, absque æquali variatione rerum distinctarum ab actibus Diuinis.

Ad 8. Merita Christi Domini, & Sacramenta ab eo instituta sunt causæ ex se sufficientes ad inducendam salutem cuiusvis hominis, & ordinata sunt à Deo in salutem omnium, & quorumlibet hominum indiscriminatim voluntate antecedenti Dei, ut exponitur q. 41. de Incarnatione. Bonum autem, & optabile est, non solum habere in se effectum causæ vtilis sibi; sed etiam habere causam, qua reddatur proximè possibilis idem effectus. Quod enim quisque minus distat à consequutione effectus; id est, quod magis habet dispositam causam sufficientem ad illum inducendum, eò magis gaudet, & plus in bonis habere censetur. Ergo exiitencia meritorum Christi, & Sacramentorum est magis benefica respectu omnium etiam reprobatorum, quam vtriusque eius boni carentia, ideoque terminat maiorem dilectionem Dei erga omnes.



QVÆSTIO XXVI.

Vtrum detur in Deo perfecta de rebus omnibus Prouidentia?



IDE T V R non dari. 1. Quia non decet infinitam Dei Maiestatem, ut immediatè per se ipsum curam gerat de rebus minimis, qualia sunt omnia creata respectu Dei, utpote infinite distantia, atque deficientia infinite ab eius perfectione: maxime cum eadem sint prorsus inutilia Deo, & nemo prudens curam, & prouidentiam suam impendat inutilibus, quæque nihil sua intersint. Crescit autem plurimum ea indecentia, & imprudentia ratio in sollicitudine, & prouidentia circa bruta, aliaque illis inferiora. Qua de causa negatur Deo prouidentia de isto rerum genere 1. ad Corinth. 9. 10. *Nunquid de bobus cura est Deo? nam propter nos scripta sunt.* Et D. Hieronymus ad illud Habacuc 1. 14. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum;* negat Deo prouidentiam circa ea, quæ sunt homine inferiora. Ergo non datur in Deo prouidentia de vlla re creata; certe non datur vniuersalis de rebus omnibus etiam minimis, & irrationalibus; pro quibus sufficit prouidentia Angelorum, & hominum.

2. Plura monstra proueniunt in rerum natura, pluresque eneniunt casus fortuiti. Neutrum autem contingere posset, si daretur in Deo perfecta de rebus omnibus, & singulis prouidentia. Quia est contra rationem perfectæ prouidentia, non disponere vnicuique causæ ea, quibus indiget, ut consequatur perfectionem effectui suo connaturalem. Est enim contra perfectionem prouidentia, quod aliquid ita disponatur, ut non possit pertingere ad finem suum; atque finis cuiusque causæ est effectus, ad quem eius virtus ordinatur, quique exigitur ab eadem cum omni perfectione connaturali. Multò verò magis

H 3 repugnat

repugnat effectui, qui subest providentiæ perfectæ, ut eueniat fortitudo, cum fortuitum directè opponatur prouiso, & ei, quod est ex præintentione, & præcognitione.

3. Dantur plura animantia, & plantæ, resque aliæ inanimatæ non modo prorsus inutiles, sed etiam nociuæ, veneno lathifero imbutæ, atque in perniciem, puramque molestiam, & vexationem generis humani destinatæ ex sua natura, quin vlla ex eisdem, aut vtilitas, aut delectatio percipi possit. Est autem contra perfectionem providentiæ, res huiusmodi non solum inducere, ut inducit Deus, sed etiam purè permittere in republica, quæ subest providentiæ alicuius. Ergo respublica hæc vniuersa generis humani nulli perfectæ providentiæ vniuersali subest, ideoque nec Diuinæ, quæ si daretur, non posset non esse perfectæ, ideoque exclusiua omnium inutilium, omniumque pure nocentium.

4. Si daretur in Deo perfectæ de rebus omnibus, & singulis providentiæ, esset inutilis, adeoque imprudens omnis hominum, & Angelorum providentiæ circa res pertinentes ad utroque. Si enim verum est, quòd *Nisi Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*; verissimum utique est, quod si Dominus custodierit Ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam: Tam enim manifestum est, sufficere se sola providentiæ Dei pro exitu intento à Deo, quam est manifestum, providentiæ creatam esse insufficientem se sola ad effectum, quem intendit. Cum igitur dicendum non sit, omnem Angelorum, & hominum providentiæ esse inutilem, ac superfluum; dicendum procul dubio est, non dari providentiæ in Deo saltem circa ea, quæ commisit providentiæ Angelicæ, & humanæ. Quæ videlicet nec frustrare, & quasi loco mouere posset providentiæ Dei, quasi præditam virtute, & efficacia superabili ab alio; nec iuuare, ac promouere, quasi insufficientem ex se ad scopum efficaciter intentum.

5. Magnum, & clarum aduersus providentiæ Dei argumentum suggerit prospera non raro impiorum, & aduersa piorum fortuna; atque illorum supra istos frequens dominatio, ac Tyrannis multipliciter, & indigne desæuiens in eisdem. Vnde illud inter alia exortum est: *Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem, Curarent superi terras*. Quid enim perfectioni providentiæ vniuersalis apertius contradicere potest, quam conditio, & status rerum, ac personarum contrarius meritis vniuersalique, & dignitati, euectis in supremum locum pessimis quibusque, & depressis optimis in miseriam, & calamitates summas? Contemnit ergo Deus res omnes mortaliū, easque eisdem omnino permittit purus spectator eorum, quæ geruntur, sicut, qui adsunt theatro.

Art. 1. Resp. Prouidere ex pro, vel procul, & videre constatum gignit providentiæ significatiuam cognitionis rerum loco, vel tempore distantium à cognoscente; atque in hunc sensum accipiunt, & exponunt vocem istam Boetius l. 5. de consol. prola 6. ante medium, Cicero l. 2. de Inuentione, & alij. Vñs tamen frequentior eiusdem vocis, & iam vnicus in scholis, est pro cognitione futurorum, eaque practica, & deducente vnumquodque in suum finem. Quæ proinde futurorum cura, dispositio, & ordo rectè nuncupatur.

Art. 2. Certum est ex fide, inesse Deo perfectam, sub ea notione, de rebus omnibus creatis providentiæ, ut patet, inter alia, ex Sapientiæ 8. 1. *Attingit ergo (sapientia Dei) à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. Et c. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*. Et c. 12. 13. *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*. Plura huiusmodi alia habentur apud Montoyam disput. 1.

de Providentiæ in sect. 3. Ratio; præ cæteris, clara, & manifesta est. Quia omnia contingentia, qualia sunt omnia creata, propter perfectionem ipsorum coniunctam cum imperfectione, pendunt essentialiter, tanquam à causa prima, & vniuersali, ab ente necessario, quòd est solus Deus, uti quæst. 2. ostensum est. Inest autem Deo necessario cognitio comprehensiuæ rerum omnium, necnon voluntas liberè quidem disponens de illis absolute, sed necessario eadem referens ad finem omnium optimum, ac præstantissimum, ut dictum est supra quæst. 15. & 19. atque perfectio providentiæ constituitur adæquate perfectæ cognitione, & volitione operantis, & ordinantis media ad finem optimum. Inest ergo Deo providentiæ, eaque perfectissima, circa omnia, & singula creata.

Art. 3. Definiri autem potest providentiæ Dei ex Boetio l. 4. de consol. prola 6. D. Thoma q. 22. art. 1. & aliis communiter. *Ordo rerum creatarum in suos fines intra Deum existens*. Ordo iste includit aliqualem in suo conceptu adæquato actum intellectus, & voluntatis. Quia utrobique deficiente deficeret ordo passiuus in rebus creatis; idemque procedit ab utroque immediatè in suo genere. Verum, quia utriuslibet perfectio propria Dei est essentialiter connexa cum perfectione alterius, ideoque utrobique actu expresso formaliter, eo ipso subintelligitur, & implicite consignificatur alter actus: propterea Sancti PP. frequenter referunt providentiæ Dei, alij quidem ad solum actum intellectus, alij verò ad solum actum voluntatis; imò, & iidem in diuersis locis referunt ad utrumque simul, & ad utrumvis seorsim. Ad actum intellectus referunt, inter alios, Dionysius c. 2. de Diu. Nom. *Veritas prospicit cuncta providentiæ mirabili*; Anselmus in Elucidario versus medium. *Quid est providentiæ? ea cognitio, qua omnia futura præscit*; Boetius l. 4. de Consol. prola 6. ante medium. *Providentiæ est illa ipsa Diuina ratio in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit*. Ad actum autem voluntatis referunt similiter inter alios, Damascenus in l. 2. fidei c. 29. *Providentiæ est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, conuenientem gubernationem suscipiunt*. Quam definitionem semel atque iterum alsertam ibidem à Damasceno totidem verbis adstruit, & approbat Nemesius c. 43. de Facultatibus Animæ. Prosper ad caput 8. Gallorum: *Voluntatis sue, ait, propositum in eis implet, quos præscitos prædestinauit*. Fulgentius l. 1. ad Monimum c. 7. *Ut unumque autem pr. destinando preparauit in illa incommutabili voluntate*.

Art. 4. Hinc suborta est controuersia inter Doctores scholasticos, quoniam ex duobus dictis actibus formaliter, & primariò constituitur providentiæ Dei, subscribentibus soli actui voluntatis D. Bonauentura, Scoto, Suarez, Vasquez, & aliis, præferentibus verò solum actum intellectus D. Thoma dicto art. 1. in fine c. & ad 3. & plerisque aliis Theologis relatis, & subscriptis à Montoya disput. 3. de providentiæ sect. 3. Molina denique, Becano, & aliis utrumque actum requirentibus ex æquo. Controuersiam istam consensit esse purè de voce, vel certè omnino inutilem Alarcon, Arriaga, & nonnulli alij. Controuersia tamen est procul dubio realis, positæ, uti ponuntur in præsentia, ex vñanimitate omnium consensu, definitionibus rerum, & prædicatorum, de quibus disputatur, nullaque controuersia realis, de Deo, deque Diuinis prædicatis secundum se, est contemptibilis, parique momenti. Quia legitima eius determinatio manifestat semper aliquam specialem veritatem de Deo, in quo nihil est, quod parum interlit, ita esse, & ita cognosci, sicut est.

Art. 5. Dicendum primò est, providentiæ Dei æque,

æquæ, eodemque modo constitui à parte rei non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè per actum intellectus, & voluntatis. Quia nullus actus intellectus Diuini distinguitur virtualiter intrinsecè ab omni actu Diuinæ voluntatis; & similiter est indistinctus virtualiter intrinsecè quilibet actus voluntatis Diuinæ ab aliquo actu intellectus Diuini, vt innouit quæstione 22. articulo 6. Ergo prouidentia Dei, quocumque demum actu, siue intellectus, siue voluntatis intrinsecè constituitur, eo ipso constituta erit utroque æquè immediatè, æquè principaliter, & in recto, quantum est ex parte obiecti, non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè. Dicendum rursus est, ratione nostra, seu quoad modum nostrum concipiendi relatè ad connotata creata (quæ est res minoris, & vix cuiusquam momenti (prouidentiam Dei formaliter, & in recto consistere potius in actu intellectus. Ratio est; quia actus voluntatis pertinet formaliter ad conceptum prouidentia præsupponit intentionem finis, & cognitionem directiuam voluntatis circa media; & si quidem ea cognitio sit perfectissima, omnisque expers imperfectionis, inducit necessariò totam perfectionem necessariam in actu voluntatis, vt media perfectè ordinentur ad finem. Quod autem est primum in vnoquoque, & continet in se cum totali determinatione cetera, quæ spectant ad ipsum, id verò, ex omnium consensu, habet rationem essentia, & conceptus primarij quidditativi. Ergo formaliter, & ratione nostra, prouidentia Dei constituitur primariò, & in recto per solum actum intellectus, quatenus præsupponit intentionem determinatam cuiusque finis. Hæc doctrina explicabitur magis in re simili, cum agatur de constitutione formali beatitudinis, & ex solutione difficultatum ibidem adhibenda apparebit sufficienter, quid dicendum sit circa leuicula quedam, quæ hic solent opponi. Interim hoc vnum notare libet in præsentia, vltimam determinationem circa ea, quæ subsunt prouidentia Dei, spectare, ratione nostra ad solum actum voluntatis, si spectetur materia eiusdem prouidentia; non verò si spectetur formaliter perfectio ordinis mediorum ad finem, qui ordo pertinet ad conceptum formalem prouidentia; cum materia circa quam non spectet, nisi ad conceptum materialem, & identicum eiusdem. Essentia autem, & quidditas cuiusque rei est penes id, quod formaliter, non quod materialiter, & identicè se habet respectu eiusdem. Ergo actus intellectus, penes quem est vltima determinatio perfectionis in ordine mediorum ad finem, potius quam actus voluntatis, penes quem est formaliter sola determinatio materia, circa quam, constituit formaliter, & primariò quidditatem prouidentia Dei.

Art. 6. Controuerti rursus solet: Quinam actus intellectus pertineant formaliter ad conceptum quidditativum, & ad perfectionem propriam, ac peculiarem prouidentia Dei. Nonnulli putant cum plerisque Thomistis, post Diuinam electionem efficacem mediorum ad vnumquemque finem, subsequi actum intellectus purè imperatiuum respondentem his vocibus; *Fac hoc*; atque in tali actu conceptum prouidentia diuinæ adequatè consistere. Quod triplici de causa admitti non debet. Primum vniuersaliter, quia actus intellectus necessariò est affirmatio, vel negatio, vel simplex apprehensio, sicut actus voluntatis est volitio, & nolitio efficax, vel simplex complacencia, vel displicencia; & neutra potentia est capax ex suo conceptu cuiusquam alterius actus, vti pluribus ostensum est in libris de anima. Ergo nullus actus, qui sit purum imperium, potest esse actus intellectus. Secundo idem actus specialiter superfluit, ac repugnat in Deo. Quia ex dictis supra volitio Dei efficax

de aliquo effectu est indistincta virtualiter intrinsecè à scientia visionis de eodem effectu, & vtrique est rursus indistincta realiter à potentia executiua. Ergo vtrique per se ipsam immediatè, & innotescit potentia executiua, & eandem applicat, ac determinat ad opus sufficienter, absque alio imperio intellectus vltèrius superaddito. Tertiò idem imperium propter mutua inseparabilitatem à dicta volitione, & visione foret indistinctum ab vtrique virtualiter intrinsecè, iuxta dicta superius quæst. 22. art. 3. Repugnat igitur in Deo tale imperium intellectus seorsim superadditum obiectiue; tamen admittatur in creatis, & possibile, & necessarium ad executionem effectus exterioris præintenti.

Art. 7. Reiecto itaque eiusmodi imperio intellectus, triplex scientia interuenit in opere Diuinæ prouidentia. Scientia nimirum simplicis intelligentia, scientia media, & scientia visionis. Scientia visionis, quia est virtualiter intrinsecè indistincta à decreto efficaci Diuinæ voluntatis disponente de rebus creatis, vt sæpè dictum est, non potest habere rationem dirigentis Deum in electione, & ordinatione mediorum ad finem; ideoque est purè executiua, & causatiua eiusdem ordinis mediorum, passiuè sumpti, eodem prorsus modo, atque actus ipse efficax voluntatis, quantum est ex parte obiecti, & secluso modo nostro concipiendi, relatè ad connotata creata; Quæ sanè est intentio D. Thomæ docentis sæpè scientiam visionis Diuinæ esse causam rerum, quæ videntur à Deo per ipsam. Quia, quoad hoc, loquitur eodem prorsus modo de scientia visionis, & de voluntate Dei efficaci, & de vtrique, sicut de actione physica immanenti in Deo, & efficienti transeuntem, vt apparet inter alia ex loco indicato supra quæst. 21. sub finem.

Art. 8. Rationem igitur dirigentis electionem, & ordinationem mediorum ad finem habent scientia simplicis intelligentia, & scientia media. Quarum videlicet altera cognoscitur possibilitas eligibilium: qua non præcognita impossibile est sequi electionem; altera verò cognoscuntur euentus subsequuntur ad vnamquamque causam liberam creatam, ad quos tanquam ad fines proprios, ordinantur reliqua creata; quibus proinde non præcognitis impossibile similiter est, vt subsequatur electio, & ordinatio ad omnes fines, qui intenduntur per Diuinam prouidentiam. Quapropter diuina prouidentia constituitur formaliter, & adequate obiectiue, & re ipsa, per decretum efficax Diuinum circa res creatas, & per scientiam visionis de eisdem; præsuppositiue verò, & causaliter constituitur per scientiam simplicis intelligentia, & mediam, & per amorem necessarium Dei erga se. Quia verò isti actus sunt eiusdem prorsus perfectionis in se intrinsecè, quia sunt perfecti tota perfectione Diuinitatis infinite sibi communicata; sit planè, prouidentiam Dei esse summè, & infinite perfectam, adeoque prorsus æqualem secundum se circa omnia summa, infima, media, iuxta illud Sapientia 6.8. *Equaliter cura est illi de omnibus*. Datur igitur in Deo perfecta de rebus omnibus prouidentia.

Ad 1. Decet quàm maximè Deum beneficentia, & communicatio suæ bonitatis respectu aliorum extra se, non solum eorum, quæ aliquo modo magna sunt, sed etiam eorum, quæ sunt minima. Dederet verò, vt beneficeret insipienter, & absque perfecta beneficiorum dispositione, & ordinatione tum inter se, tum respectu sui ipsius. Decet itaque Deum, vt exerceat prouidentiam circa res creatas, quatenus decet, vt res efficiat, & sapienter, atque perfectò modo perficiat; in quo consistit ratio prouidentia. Præterea prouidentiam istam exercet Deus absque vlla defatigatione, & molestia, & absque vlla diuersio-

ne à cognitione, & amore sui; imò exercet ex vi suæ cognitionis, suique amoris erga se ipsum; idest, ex vi suæ beatitudinis, & delectationis infinitæ ex se ipso. Licet autem præstet hoc æqualiter respectu omnium, quod attinet ad perfectionem actus, quo prouidet, vt paulò prius dicebatur; nihilominus quoad cumulum bonorum vniciuique prouisum, est specialis prouidentia Dei, & maior circa meliora. Est verò specialissima in hoc sensu circa substantias rationales, ad quas videlicet solas, vt ad finem cui adæquaturn, vtilitatis, ordinat reliqua omnia, quasi nihil faciens ea omnia secundum se, soliusque eatenus rationalitatis curam gerens. In hoc itaque sensu accipiendum est, quod supponitur de bobus non esse curam Deo; non enim est cura de illis ratione sui, sed ratione hominis, in quo sistitur tanquam in fine vtilitatis dilecto à Deo amicebilitate, seu inchoatine, seu perfectè, & completè. Eodem respexit Hieronymus in loco, qui obiicitur. Solam namque intendit negare respectu rerum homine inferiorum specialitatem attentionis, curæ, & prouidentia modò prælatam, ex parte rerum, & bonorum, quæ prouidentur homini propter ipsum hominem tanquam finem vltimum vtilitatis. Quem sensum exponit dilucidè idem Hieronymus ad illud Ieremiæ 32. 27. *Nam quid mihi difficile, siue impossibile, erit, aut abscondetur à me omne verbum?*

Ad 2. Nihil est monstruosum, aut fortuitum respectu Dei, licet contingat aliqua esse eiusmodi respectu causarum secundarum. Id enim est respectu cuiusvis causæ monstruosum, & respectu naturæ intellectualis fortuitum, quod non fuit præintantum à causa, nec præuisum à natura intellectuali. Nullus autem existit effectus propriè talis, qui non sit præintensus à Deo efficaciter, nullusque est euentus non præcognitus ab eodem. Quod verò aliqua sint, aut monstruosa, aut fortuita, respectu causarum secundarum, nullum arguit defectum prouidentia in Deo, sed solum in ipsis causis secundis arguit imperfectionem, aut prouidentia, aut virtutis actiua. Quia monstra proueniunt ex mutuo causarum, secundarum sibi inuicem aduersantium occurſu, quarum alia impediunt alias mutuo, quominus vnaquæque nanciscatur effectum exigentia suæ secundum se considerata correspondentem adæquatè; atque expedit, propter multiplicem inde natam vtilitatem, vniuersum componi ex eiusmodi causis sibi inuicem contrariis. Calus fortuiti solum connotant inscitiam, aut ignorantiam, ac oscitantiam creaturarum rationalium, quæ cum sint ex se defectuosæ, non debent vlla prouidentia de ipsis perfectione, ab omnibus eiusmodi defectibus liberari. Neque enim pertinet ad perfectionem Dei necessariam, vt non fundet possibilitatem creaturarum vsque adeò defectibilem; cum necesse potius sit, vt omnia, quæ inde dimanant, descendant multiplici defectu ab excellentia illa infinita; atque ita commonefaciant, puram bonitatem expertam omnis mali in solo vno omnium auctore esse querendam.

Ad 3. Nimis latè patet ea difficultas, nec potest adæquatè, & minutim illi satisfieri, nisi expensis, & explicatis seorsim omnibus, & singulis, de quorum vtilitate respectu vniuersi aliqua dubitandi ratio occurrit. Quod vires humani ingenij, & limites præsentis instituti longè superat. Verum neque obiectio satis efficaciter vrgeri potest humano discursu. Oporteret enim, vt obiciens ostenderet positinè de re aliqua, quod nulli aſſeri rei certò congruenti respectu vniuersi, vtilis illa esse possit vtilitate præponderante nouementis, quæ res eadem parit. Hoc autem vt fiat exactè, necesse est comprehendere perfectè res omnes existentes in hoc vniuerso, & fines à Deo in-

tentos in productione cuiusque rei. Quod patet nulli mortali ingenio concessum esse. Stante itaque ista obicientis, & respondentis æquali ignorantia, & defectuosa intelligentia, sufficit ad quietandum intellectum obseruare generaliter tot alias rerum myriades, & toties replicatas myriadam myriades optimè sibi inuicem congruentes, & perfectissimam auctoris sui prouidentiam ostendentes patentissimè. Ex illis enim prudens deriuatur coniectura, certumque iudicium reliquis quoque rebus vtilitates inesse nobis latentes, nec prouidentiam infinitis propemodum rebus summam, in paucis aliis defecisse; sicut deficit habitudo mentis nostræ ad perfectam rerum minimarum discretionem, & cognitionem adæquatam, ad eum modum, quo oculi corporales non sufficiunt ad notanda, & discernenda minima corpuscula, vt athomos. Res nimirum, quas considerat obiectio, habent perfectionem, & vtilitatem comparabilem cum illustri aliarum rerum perfectione, & vtilitate; sicut comparatur magnitudo athomorum cum magnitudinibus aliis maioribus.

Ad 4. Necessaria quidem est prouidentia Dei immediata simul cum prouidentia humana, & Angelica; sicut necessaria est influentia vniuersalis physica Dei simul cum influentia, & actiuitate causarum secundarum. Sed non propterea superfluit prouidentia creata, sicut nec superfluit actiuitas, & influentia physica creata respectu finium, quos Deus intendit. Vtraque enim participatio Diuinæ perfectionis deferuit ad laudem, & gloriam Creatoris dum demonstrat maiorem in vtroque genere perfectionem primæ, & vniuersalis omnium causæ. Licet autem nulla vis creata prouidentia impedire possit effectum vllum efficaciter intentum per prouidentiam Diuinam, ex suppositione, quod enim intendat de facto, impedire tamen potest, & sæpè impedit, quominus Deus efficaciter intendat plures effectus circa ea, quæ subſunt arbitrio, & prouidentia creata, vt exponitur infra qu. 34. agendo de concordia libertatis creata cum Diuina. Quod si prouidentia creata, seu defectus prouidentia creata proprius, potest eo modo impedire aliquos effectus, est vtique eadem ad eosdem aliquantulum necessaria, licet ad nullos effectus se sola sufficiat absque prouidentia, & cooperatione Diuina; quod solum conuincit testimonium illud obiectio. Ratio verò eadem testimonio adiuncta solum concludit, Deum non induxisse ex indigentia, & propter insufficientiam suam, prouidentiam, & actiuitatem creatam, non verò induxisse absque vlla absolute vtilitate, & necessitate rerum ipsarum creaturarum, quæ vtilitas, & necessitas sufficit, ne prouidentia, & actiuitas creata perperam, & inutiliter existat, neque penitus superfluat.

Ad 5. Contraria illa piorum, & impiorum fors non probat vllum defectum prouidentia Dei, sed probat efficaciter immortalitatem animæ, cui videlicet liberatæ à corpore superest præparatum sibi à Deo æternum gloria, aut ignominia pondus, quo iustissimè compensentur actus, & boni, & mali viatorum, hiatusque fortune temporalis non modò non sectantis, sed insectantis sæpè virtutem, & probitatem, æternitate complanentur. Nempè exercenda virtuti potius, quàm compendenda, supellex rerum istarum sensibilem parata est, & humanæ industriæ seu iustæ, seu iniustæ permilla, sicut & artium, scientiarumque naturalium acquisitio. Quod rectitudini prouidentia Dei nequaquam obstat; vt pote babentis apud se reposita iusta præmia, & supplicia eorum, quæ, seu prosperi, seu improperi gesserint circa istam virtuti, & vitio expositam materiam.